



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignatius Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Ignatii natalis, & inuenta. Cap I.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

S. IGNATII
VITA.
LIBER PRIMVS.

IGNATII natalis, & iuventa.

C A P. I.



GNATII, quem pri-
mum familiæ Paren-
tem habemus, natale
solum Hispania fuit,
eâ parte quâ monti-
bus Pyrenæis clauditur: indigenæ
Guipuzcoam, prisci Cantabros
dixerunt. Id loci sub annum Christi
millesimum quadringentesimum
nonagesimum primum nascitur
IGNATIVS; quo tempore Inno-
centius, Romani nominis Ponti-
fex octauus, & Fridericus Impe-
rator tertius, rerum potiebantur.
Parentes habuit, de principe utrum-

A 4

que

8 S. IGNATII VITA.

que familiâ: patrem, Bertratum, virum illustrem, Ognis & Loiolæ Toparcham: mater fuit Marina Sone, domo Baldensis, claro gene-
re nomineque femina, nec ceteris virtutum insignibus marito impar. Hunc plerique rerum Scriptores, qui nostrâ maiorumque memoriâ claruerunt, eò natum præcipue credidere, ut Hydram ille, quæ grassatura iam tum, & Lutheri ve-
neno Septemtriones erat infectu-
ra, retunderet. Quorum opinio-
nem & Curia Romana magno
nuper suffragio adiuuit.

2. Emicabat in puerô iam tum eximia quædam indeoles, animique & ingenij vis magna, si inter bonas artes adolesceret. Sed vix morati parentes, dum infantiam exiret, eum præproperâ spe ad Ferdinan-
di Catholici Regiam amittunt, in-
ter æquales ibi liberaliter educan-
dum. Hic omnibus aulæ disciplinis institutus, brevi docuit, nihil se me-
diæ fortunæ passurum: cœpitque,
ut primùm vires erant, ardua velle,

glo-

gloriam è claris facinoribus petere,
inter primas curas militiam habe-
re , eoqué assiduis equitum velita-
tionibus assuescere. Quâ exercita-
tione , vel idcircò præstare se alijs
cupiebat , vt nosci præter ceteros
populo , & quondam inter Heroas
memorari posset. Sed iuueni ad in-
gentia nitenti, materies laudis, quæ
adhuc defuerat , haud multò pòst
vbertim suppeditauit.

3. Nam anno Christi supra mil-
lesimum quingentesimo vigesimo
primo , vbi Gallos in armis esse
percrebuit , arcemque Pompeio-
poli iam arctè obsidionibus premi,
quam ijdem operibus propediem
machinisque verberaturi putaban-
tur; IGNATIVS eius tuendæ ne-
gotium accepit. Ibi ceteris rei dif-
ficultate perterritis , & quòd auxilia
nusquam vlla sperarent, de præsi-
dio deducendo pacifcentibus, solus
nimirum intercessit : mutatoqué
omnes consilio, ad mortem oppe-
tendam priùs , quām flagitium
conscicerent , induxit. Ita decus

A s re-

IO S. IGNATII VITA.

retentæ tunc munitionis , penes
IGNATIVM fuit. Sed per illos for-
tè dies pertinaciùs Galli agere , &
ferreo telorum imbre in arcem ef-
fuso, maioriq; ballistā institerunt
præsidium quatere : quo demum
impetu, labantis muri fragmentum
conuellitur. Ea moles IGNATIO
propter assistenti, & egregiè dimi-
canti, in læuum crus incubuit: quæ
vt tibiam modicè læsit , ita globus
ipse in dexteram illatus , eam ve-
rò miserrimè habitam, pleramque
omnem collisit. Ex eo vulnere col-
labitur IGNATIVS. Hunc vt af-
flictum videre ceteri , omnes nullâ
morâ sese arcemque hosti dedunt.

4. Loco in potestatem adducto,
IGNATIVM Galli , præ quam ab
hoste speres, clementer acceptū, in
sua primū contubernia deferunt:
tū interim cognito viri genere, im-
pensè laborant vt ægritudine leue-
tur: deniq; lecticæ impositum, suc-
collantibus humeris in patriam re-
portant ; obsequio vel in fratribus
raro, necū in hostibus memorando.

IGNA-